

DE RELIGIONE NATURALI ET SUPERNATURALI.

Prof. S. Zimmermann

(Continuatio)

Inde jam manifestatur functio voluntatis in istis veritatibus obtinendis. Voluntas enim praeparare debet assensum mentis removendo dispositiones et passiones, quae mentem a veritate avertunt. Insuper voluntas influere debet in ipsum assensum, dirigendo praesertim attentionem et alias facultates in veritate inquirenda et amplectenda. Haec et aliae functiones vitales concurrunt in complexu activitatis religiosae. Quae omnia ex apologetica jam satis nota sunt.

Explicatio facti religiosi in apologetica nititur aspirationibus ipsius naturae rationalis, quas religio sola capax est implere. Genus humanum universali motu suae naturae trahitur ad Deum, et ita propensio ad religionem homini innata est. Praeterea, religio non solum necessaria respectu naturae rationalis, sed etiam ex ipso ordine naturali obligatoria dicenda est. — Notum est etiam, religionem ex duplici fonte ortam fuisse: ex primitiva revelatione et ex ipsa ratione humana. Cum enim revelatio primitiva apud plerosque obnubilata et forsitan extincta fuerit, per contemplationem rerum naturae et sui ipsius homo ad primam causam et summum Bonum ratione assurgebat atque alicujus religionis necessitatem percipiebat.

Sub respectu vero elevationis animae, ad activitatem ejus pertinet imprimis libertas fidei seu illa mentis humilitas et voluntatis submissio («resolutio generalis fidei; intentio prima fidei»), quae ad fidem supponitur in quantum homo paratum se esse fatetur ad amplectendum quidquid Deo placuerit revelare; deinde praeparatio ad fidem per inquisitionem de credibilitate, per judicium quo mens — «motivis» illuminata — judicat veritatem aliquam fide divina credibilem esse, nec non per judicium credentitatis. Motiva vero credibilitatis diversa sunt, secundum condiciones credentis. Deinde, si quis minime paratus est colere virtutes, neque as-

sensum praebebit veritatibus, quae ipsas involvunt. Mens potest etiam denegare assensum propter praejudicia et passionem, quae in veritate investiganda quibusdam difficultatibus adhaerent. Ita religiositas supernaturalis jam quoad actum fidei eliciendum diversimode dari potest sub influxu dispositionum moralium et cum voluntatis concursu: cui non convenit vivere secundum veritates revelatas, vel cui earum credibilitas et credentitas non manifestatur propter quandam mentis praeoccupationem, neque religionem supernaturalem obtinebit. Denique, gratia fidei non datur nisi petentibus.

7. Si naturam humanam in eo statu, qui naturali ordini finali correspondeat, consideramus, dicimus id esse »statum purae naturae«. Homo in ordine supernaturali positus est, i. e. invenitur in statu, qui destinationem ad finem supernaturalem praesupponit. Duae sunt (revelatione scimus) phases huius status: imprimis protoparentes constituti erant in statu gratiae, postea vero advenit peccaminosus lapsus seu aversio a fine. Haec aversio cum amissione gratiae supernaturalis transiit in posteros protoparentum, i. e. per primam culpam advenerat pro natura humana status naturae lapsae, et statim postea (per promissionem Redemptoris) status naturae reparatae. Ita omnes homines in statu naturae lapsae et reparatae sunt, i. e. natura capax effecta est finis supernaturalis per Christum. Elevati in ordinem supernaturalem seu praedestinati ad finem supernaturalem, homines post peccatum protoparentum spoliati sunt omnibus, quibus opus est ad hunc finem (per Christum autem ipsis id iterum accessibile est), — tamen hisce non defecit capacitas eorum naturae ad finem naturalem in conscia relatione ad Deum Creatorem et naturae Legislatorem. Non ergo evanuit capacitas religiositatis; immo vero haec potentia ad actum perducebatur, homines reapse naturaliter religiosi erant, — quod non significat eos in »statu naturae purae« fuisse seu in statu ordinis naturalis (praedestinationis ad finem naturalem), neque id significat homines de facto fuisse tantummodo naturaliter religiosos sine ulla supernaturali religione etiam ante Christum. Ex eo ergo, quod natura »lapsa« est, non licet deducere negationem religionis naturalis. Non licet confundere religionem naturalem cum »statu naturae purae«, — et tamen huius confusionis victimae esse videntur

illi, qui absque ulla distinctione denegent existentiam religionis naturalis. Ipsa revera non existit, si affirmatione ejus existentiae exprimi intenderetur Deum non omnibus hominibus supernaturalem finem ordinasse. Qui enim affirmaret religionem naturalem existere et eo intenderet dicere secundum Dei ordinationem finem naturalem existere et eo ipso finem supernaturalem pro omnibus hominibus excluderet, ipse simul existentiam ordinis supernaturalis negaret. Hoc sensu ergo nequit defendi thesis, religionem naturalem existere. Adest tamen rectus sensus, quem defendere possumus: fundamento ordinis supernaturalis non excluditur religio naturalis. Respectu hujus ordinis natura humana in duplicem statum intravit: justitiae originalis (ante peccatum originale protoparentum) et lapsus cum reparatione. Patet falsum esse, si cum peccato originali connexa amissio gratiae (et in hac amissione inclusa aversio a fine supernaturali) consideretur causa realis non existentiae religionis naturalis. Ratio existentiae religionis supernaturalis est elevatio conjuncta cum reparatione, quapropter tantummodo respectu ad eas posset fieri conatus denegandi religionem naturalem; nihilominus et id fundamento caret, quia non fit distinctio inter ordinem supernaturalem (sensu objectivo) et subjectivam participationem in eo. Fundamento enim caret praesupponere, jam ex eo quod objective (ex voluntate Dei) supernaturalis ordo existit, omnes homines de facto vitam suam secundum ordinem supernaturalem ad finem supernaturalem dirigere ita, ut supernaturaliter religiosi sint. Negatio inconditionata religionis naturalis praecise inde exorta fuisse videtur, quod factum praeteriebatur, ab homine dependere, num et qualiter cum ordine supernaturali cooperaturus esset, — et praecise ab hoc dependet quaestio de ejus religiositate. Praecise propterea, quod natura humana gratiam perdiderat (=principium assecutionis finis supernaturalis ei ademtum est) — in hoc autem et consistit transitus peccati protoparentum in omnes homines —, debet singulus homo, ut in statum gratiae supernaturalis elevari possit, naturalibus propriis facultatibus esse conversus ad Deum, non vero ab Eo aversus. Quatenus naturaliter conversus est, eatenus religiosus est. Quantum cum unoquoque gratia cooperetur, id utique ignoramus. Scimus ta-

men de facto (in historia) elementa religionis naturalis extitisse; nam in religionibus historicis non omnia falsa sunt, sed in iis quoque aliquid recti adest, quod praecise eas religiones efficit, id vero est agnitio Divinitatis. Qui non agnoscant religionem naturalem existere, elementa naturalia religiosa in historia non agnoscere coguntur, et ea (omni levitate) ex historia expungunt. Non tamen licet eis obliterare thesim apologeticam, quae naturalem obligationem religionis praecise in facto universalitatis religionis fundat, — istud autem factum universale in historia non proditur qua religio supernaturalis, sed qua naturalis. Hisce non annihilatur aliud factum (quod ex revelatione novimus), quod nempe in historia ante Christum religio revelationis supernaturalis (specialis) extiterit.

In statu actuali potest homo viribus naturalibus aliquod moraliter bonum opus exsequi; et eatenus est religiosus. Discrepantur opiniones, num de facto bona opera absque gratia peragantur; quidam putant omnem bonam cogitationem et conatum ad bonum fieri sub influxu gratiae supernaturalis. Id quidem omnino recte dicitur, quantum — fundamento ordinis supernaturalis — Deus gratuite hominem per omnem actum bonum ad finem supernaturalem conducit; tamen dubitari nequit, quin et apud paganos moraliter bona opera existant et eatenus gratia non excludit elementa religiosa naturalia. Omnino recta quoque est affirmatio, cum quidam (*Karrer*) efferant etiam revelationem universalem vocari posse supernaturalem; ratio hujus rei est, quod Deus cum naturalibus quoque mediis — ratione et voluntate — cooperatur relate ad finem supernaturalem, i. e. cooperatur cum gratia supernaturali: incitat voluntatem, ut via legis moralis tendat versus Deum, qua finem nostrae vitae, antecedenter autem illuminat rationem detegendo ei veritates circa finem vitae. Hic finis utique supernaturalis est — si intuitivam (immediatam) unionem in relatione cum necessitate et capacitate nostrae naturae rationalis spectemus —, nihilominus etiam sub aspectu ordinis naturalis (ubi unio mediata est) objectum nostri finis est Deus: propterea conversio ad Deum etiam per media naturalia habet »objective« eundem finem sicut et per media supernaturalia, eo tamen discrimine, quod iste finis, utpote supernaturalis, »formaliter« a naturali (secundum modum unionis) differat. Possemus quidem tenere (ut *Karrer* putat) terminum »revelatio na-

turalis« habere in apologetica tantummodo usum technicum, nam revera etiam cum mediis naturalibus gratia supernaturalis cooperatur (revelationes et incitamenta), in hisce tamen prae oculis tenenda esset realis distinctio inter revelationem naturalem et supernaturalem, quatenus ipsae subjective quoque differunt (secundum agnitionem rationalem et fidem auctoritativam). Si ergo praesupponimus auxilium supernaturale (illuminationes, revelationes) etiam in agnitione rationali cooperari — praeter cooperationem in ordine naturali provisam —, et ita omnem (universalem quoque) revelationem esse supernaturalem, nihilominus ipsa simul naturalis est, quatenus componens rationale-volitivum includitur.

Quomodo credibilitas revelationis supernaturalis tuta redditur? Quibusdam argumentis, quae criterium seu signum sunt revelationis specialis per Christum (Vat. III, 3). Agnitio hujus revelationis ergo praesupponit non solum gratiam supernaturalem, sed et rationabile obsequium. Non est necesse, ut id semper scientificè deducatur, attamen in structura religiositatis supernaturalis semper etiam quoddam minimum elementorum naturalium (rationis et voluntatis) detecturi sumus. Ut homo gratiam fidei accipiat, debet esse — uti diximus — bonae voluntatis, nec sit captus commodo infidelitatis («von keinen widergöttlichen Interessen eingenommen»). Ex parte ergo volitiva exigitur »amor« (sensu latiore) seu promptitudo quaerendi et amplectendi veritatem, speciatim deditio Deo; ex parte vero rationali agnitio Dei. Praecise id efficit elementum naturale in experientia vitali supernaturali. Naturale et supernaturale non significat oppositionem et negationem. Naturale seu universale non est suppressum, sed ad supernaturale dimittitur (*Karrer*), i. e. sensu adaequato religio una est et quidem illa, quae in revelatione Dei-hominis Christi fundatur, in hac autem religione factor naturalis participat. Possumus eum vocare et supernaturalem, quatenus etiam cum eo pro relatione ad finem supernaturalem gratia supernaturalis cooperatur. Hoc sensu etiam revelatio universalis (nos dicimus naturalis) juste dici posset supernaturalis et eatenus tota vita religiosa generis humani suo fonte et essentia sua est supernaturalis, tantummodo in his obliviscendum non est, istud »supernaturale« concipi sub aspectu supernaturalis cooperationis divinae cum factore naturali. Qui diuturnis cona-

tibus conversus sit ad christianismum, ex experientia scit, quantum aerumnosam partem in hac via quaerendi Deum et vita naturaliter morali ducenda ipse habuerit. Vel si aliquis v. gr. de veritate revelata eucharistiae dubitare incipiat — sub influxu ideae majoritatem hominum ne cognoscere quidem hanc veritatem — ,potest hanc dubitationem via omnino rationali (naturali) eliminare, si cogitat majoritatem hominum ne alias quidem veritates scire; cum primum autem quaestio de credibilitate hujus veritatis exurgit, iterum ratio auxilium fert eo, quod divinam auctoritatem revelationis tutatur — et id quidem diversimode, aut historice critice, aut saltem perspectione quod Deus ipse responsabilis foret pro falsitate revelationis, in qua re jam agnitio Dei includitur. Cum v. gr. aliquis ex motivo supernaturali proponit, quod frenaturus sit phantasiam vel quod non sit nociturus homini sibi minime bene viso, ita ut pro executione hujus supernaturaliter boni propositi quandoque necessarii sint multi rationales-volitivi actus (attentio, amotio impedimentorum executionis, adhibitio mediorum), prima conditio horum est, ut ille voluntatem habeat generatim vivere secundum dictamen conscientiae, seu ut sit paratus via bonitatis incedere. Ita in structura vitae supernaturalis etiam elementa naturalia apparent.

Commemoravimus justificationem fidei supernaturalis inniti signis exterioribus, quibus divina probatio revelationis Christi manifestatur. Solummodo in agnitione auctoritatis Christi fundatur valor revelationis supernaturalis; solummodo per hanc auctoritatem ipsa fit Divina sensu absoluto, non autem relative tantum (comparative historice). Verumtamen non solum quod istud elementum logicum necessarium sit qua fundamentum pro justificatione fidei supernaturalis in revelationem Christi, sed etiam sensu psychologico potest aequivalens »naturale« supplere fidem supernaturalem (sensu strictiore). Fidem (sensu largiore) habet, qui secundum perspicentiam conscientiae vivit, qui per influxum volitivum habet firmam adhaesionem veritati etiam cum eam scientificè demonstrare nequeant — et propterea in hac morali inclinatione includitur status fidei supernaturali correspondens. Etiam hic Deus revelatur, etiam hic adest fides, quamvis haec non sit fides formalis in revelationem Dei-hominis. Vitam aeternam possunt assequi et illi — dicit Pius IX. in encyclica a. 1863. —, qui in

insuperabili ignorantia nostrae religionis versantur, tamen observant naturalem moralem ejusque in cordibus omnium impressa mandata, atque in obedientia Deo parati sunt ad honestam et rectam vitam.

Hisce verbis extollitur momentum naturale, quod per gratiam divinam ad ordinem supernaturalem elevatum est. Propterea non faciunt recte aliqui, cum momentum supernaturale tanta mensura extollant, ut ipsum naturale absorbeat: quamvis solus ordo supernaturalis existat et quamvis gratia supernaturalis etiam extra Ecclesiam operetur, non eo excluduntur elementa religionis naturalis, quae expressionem suam accipit (per ideam Divinitatis) etiam apud paganos polytheisticos. Ordo naturalis est abstractus, de facto autem existit supernaturalis ordo gratiae, quapropter dici potest (*Karrer*) actus humanos tantummodo sensu supernaturali esse bonos vel malos secundum concordantiam vel discrepantiam (durch Uebereinstimmung oder Gegensatz) cum gratia supernaturali, cum omnes actus sint cooperatio vel non cooperatio cum ipsa (Mitwirkung oder Nicht-Mitwirkung). Cum tamen religionem supernaturalem significatione adaequata, qua fidem in Revelatorem Deum-hominem et totam summam revelationis accipimus, debemus ab ea distinguere »universalem« revelationem ut fundamentum religionis naturalis. Haec constituitur veneratione Dei et observantia legis moralis naturalis, in quibus gratia supernaturalis cooperatur.

In quaestione de ordine supernaturali et naturali eodem tempore haec effata reperimus: 1.) Existit tantummodo ordo supernaturalis et id scire possumus tantummodo per revelationem supernaturalem; 2) existit ordo moralis et quidem secundum dictamen conscientiae (rationis). — Etiam ita dicitur: ordo naturalis non existit, nam iste in nostra natura fundatur. — Item dicitur: ignoramus qualis fuisset finis naturalis; simul tamen agnoscitur ordo moralis naturalis et ex ratione demonstratio instituitur Deum esse finem hujus ordinis.

Cum Deus omnibus hominibus finem supernaturalem statuerit, non erat neque est ullus homo, cui Deus gratias necessarias ad assequendum finem supernaturalem non dederit. Ita ordo supernaturalis in historia generis humani incipiendo a primo homine in saecula aeterna obtinet: omnes in statu supernaturaliter elevatae naturae invenimur. Status supernaturalis significat a Deo adjuvari hominem in assequendo suo fine super suas naturales potentias et aspirationes. Conditio pro applicatione individuali hujus status est agnitio naturalis (secundum legem moralem), quod Deus sit finis vitae humanae. Consecutio status supernaturalis

includit vitam secundum legem moralem naturalem, cujus finis est possessio Dei (vita cum Deo) — licet homo nondum sciat hanc possessionem non ipsi naturae convenire, sed eam superare. In Deo homo supernaturaliter beatus erit, si inceserit non falsa sed recta via (ordine), quam Deus ei in conscientia monstrat, in hisce vero homo accipit — meritis Christi — gratias, quibus opus est ad consecutionem finis supernaturalis: et eatenus ab initio ab hac consecutione delapsa natura reparata est. Media gratiae et revelationem de ordine supernaturali accipimus per Christum. Si id alicui nondum notum sit, non ei detrahitur auxilium gratiae in via naturaliter religiosae (moralis) vitae — ad finem ad quem omnes destinamur: amare Deum et in hoc invenire beatitudinem, superantem omnia, quae nobis secundum naturam competent.

8. a) Si verum sit, sicut reapse est, quod homo ratione (naturaliter) cognoscat obligationem moralem et per ipsam quoque suam dependentiam a Deo, tunc in hac cognitione includitur subjectio adimplendi legem moralem, speciatim vero adimplendi officium cultus divini. Haec religiosa subjectio est principalis et universalissima obligatio, quia in ipsa existentiā et finali dependentia a Deo fundatur et quia totam vitam complectitur. Ipsa est obligatio naturalis, quatenus ex lege naturali seu ex conditione naturae humanae, speciatim in ejus relatione ad Deum promanat. In lege naturali quoque includitur exigentia, ut homo suam subordinationem ad Deum vere cognoscere contendat, sicut etiam ut de hac re instructionem a Deo accipere paratus sit. Conscientia subordinationis in finalitate ad Deum includit obligationem spei pro assecutione finis vitae, sicut et obligationem amoris erga Deum, in quo finis vitae nostrae consistit. Omnes hae obligationes particulares fundantur (subjective) in religione naturali: in rationaliter cognita obligatione agnoscendi Deum qua fontem legislativum et finis determinativum vitae. Licet id non omnis homo theoretice perspiciat, tamen vita practica coram alternativis ponitur: num ipsi aliquod bonum sensitivum (»venter«) futurum pro »Deo«, an vero in naturali subiectione sua agnosciturus sit Deum dominum moralem et summum bonum, a quo nullo pretio averti poterit; num a Deo auxilium in via ad felicitatem expectaturus sit, an vero temere in se sibi fidendum sit; num Deo credere paratus sit, an non; num erga Deum irreverenter semet gesturus sit, an vero paratus sit ad colendum eum. Amor erga Deum, spes, fides, reverentia — omnia ista sunt obligationes contentae in generali obligatione religionis seu agnitionis

propriae subjectionis finalis et moralis. Fundantur ergo in lege naturali, quae omnem hominem prohibet amare aliquid super Deum; prohibet derelinquere tendentiam ad eum propter temeritatem vel desperationem; prohibet spernere cognitionem ab eo acceptam; prohibet indignum modum semet erga eum generendi: in omnibus talibus factis homo cognoscit — per legem naturalem — offensionem erga Deum et scit id significare aversionem ab Eo seu non agnitionem dependentiae suae. Quaecumque (naturali, rationali) »via« homo propriam dependentiam perspexerit — sive via observationis caducitatis et inconstantiae vitae, sive consideratione de vanitate felicitatis in bonis »temporalibus«, sive voce conscientiae —, eo ipso perspicit voluntariam agnitionem hujus subjectionis (religiositatis) esse obligatoriam; quod in applicatione ad concretas condiciones significat eum nihil tale facere debere, quod isti agnitioni ut violatio reverentiae, fidei, spei, amoris opponitur. Secundum legem naturalem ergo homo ad religionem destinatur et eatenus haec naturalis est. Propterea S. Augustinus (Epist. 102, q. 2, a. 12) dicit de hominibus ante Christum: »Ab exordio generis humani, quicumque in eum (Christum) crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, et secundum ejus praecepta pie et juste vixerunt, quandolibet et ubilibet per eum procul dubio salvi facti sunt«. Erant ergo, secundum dicta, etiam ante Christum tales »christiani« qui inclusive credebant in salvationem a Deo —: eatenus inclusive, quatenus naturaliter religiosi erant et qua tales dispositi (negative) ad accipiendam gratiam supernaturalem.

Hoc sensu dici potest extra christianismum religionem supernaturalem inclusive existere: et quidem objective eatenus, quatenus veritates et obligationes — fundamento naturalis nostrae dependentiae — dirigunt ad unionem cum Deo qua vitalem nostrum finem, licet in hoc nondum adsint veritates et obligationes revelatae de supernaturali modo unionis; subjective vero eatenus, quatenus voluntaria agnitio harum veritatum et obligationum naturalium includit praeparationem (habitudinem) pro supernaturali. Patet ergo religionem naturalem neque extra neque intra christianismum evanuisse. Viae appetitionis vitalis et operationis duplici tendentia incedere possunt: ad Deum et opposite a Deo. Homo in hoc compito positus, pro alterutra parte sese determinare potest. Media in via ad Deum

sunt bona opera, et id omnis homo vi conscientiae et rationalis (naturalis) illuminationis cognoscit. Via ad Deum possibilis est homini secundum naturalem ejus facultatem voluntatis et naturaliter illuminata est — et cum homo hac via (operum moraliter bonorum) incedit, quatenus illuminatus ratione agnoscit Deum qua suum finem vitalem, vel quatenus scit sibi a Deo vetitum esse hunc finem commutare cum aliquo alio, et quatenus unio cum Deo objectum sui amoris est, dicimus eum naturaliter religiosum esse. Id vero nondum significat hominem unice ad talem religiositatem a Deo destinari. Id quidem obtineret eo in casu, si Deus ipsi tantummodo talem unionem destinaret, qualis ejus naturae competit, verumtamen revelatio de hac re alia nos docet: inde a primo homine et ulterius omnes homines destinantur ad finem supernaturalem, omnes in supernaturalem ordinem finalem positi sunt et nemo in statu naturae purae remanserat. Tantummodo quaestio est: qua ratione status supernaturalis actuationem suam accipit? Illuminatio supernaturalis — post revelationem primo homini factam et per legem Moysis — tandem per Christum plena evasit, quapropter non possumus dicere expresse et plene supernaturalem religionem etiam ibi existere, ubi supernaturalis illuminatio revelationis divinae non protenditur. Id vero non significat absque revelatione religionem supernaturalem nullimode existere, nam ipsa inclusive et virtualiter jam in promptitudine agnoscendi revelationem cum supernaturalibus auxiliis pro hac agnitione consistit (Deus vero talia auxilia nemini denegat, cum omnibus supernaturalem statum destinaverit). Cum naturaliter bonis operibus cooperatur supernaturalis gratia, cum qua homo ad supernaturalem unionem cum Deo dirigitur, — sua vero promptitudine, ut a Deo supernaturaliter ducatur, ipse quoque supernaturaliter religiosus est. In hisce simul naturaliter religiosus est, quatenus nondum expresse novit revelationem supernaturalem neque vivit secundum mandata supernaturalia, sed tantummodo naturaliter illuminatus est et secundum naturalem bonitatem vivit.

b) Contemplavimus subjective et objective connexionem inter naturalem et supernaturalem religionem. Diximus: religionem constitui omnibus, quae ad conscientiam relationem dependentiae vitalis a supermundano fonte (Deo) pertinent. Hanc conscientiam possumus accep-

tare et objective et in singulis subjectis, quae eam vivunt. Quid ad dictam relationem pertinet? Ante omnia diversae cogitationes, opiones de ea. Non philosophice (absque demonstrationibus) possunt exprimi ita: »Absque Deo homo omnino nihil est, sine existentia est; a Deo habet omnia, quae habet; omnia quibus pro vita eget; ab Eo omne bonum est, omnis liberatio a malo; tantummodo e »manibus« Dei possibilis est felicitas, quam homo necessario appetit, quapropter relatio ad Deum ei indifferens esse non potest; homini a Deo imposita est prohibitio, limitatio in eligenda felicitate; lege divina ordinatum est, ut non omnia opera indifferentia sint; obligatio generalis ad diversa munia et prohibitiones sunt a Deo; amplexio felicitatis prohibita, conculcatio legis voluntatis divinae significat offensionem Dei, peccatum«. Ubicumque nostra relatio erga Deum in considerationem venit, cognitiones de ea ad religionem pertinent. Ipsae per se nondum religionem constituunt, nisi quatenus ad voluntatem referuntur in practica functione sua, in campum moralem translatae. Veridice nunc speciatim una ex praedictis cognitionibus in considerationem venit: »Homo debet oboedire legi morali in omnibus ejus particularitatibus eo, quod ipsa a Deo proveniat; omnia munia (negativa et positiva) hujus legis fundantur in obligatione a Deo imposita«. Ita et cumulus munium pertinet ad religionem, quatenus lex moralis obligatoriam vim a Deo habet. In »catalogo« horum munium — id jam religionem sensu strictiore significat — inveniuntur etiam munia erga Deum.

[Ipsa ex relatione nostra ad Deum proveniunt, quatenus haec in praedictis cognitionibus exprimitur; i. e. cum praesupponimus hominem in omnibus a Deo dependere, psychologicè eo ipso motivum statuimus, cur homo Deo grates rendere vel cur eum aliquid adprecari debeat atque omni propria utilitate exclusa ejus magnitudinem agnoscat. Praeposterum esset, si homo id anthropomorphice conciperet qua conventionem, »do ut des«, licet in tali quoque conceptione agnitio deperdentiae adsit.]

Cum aliquis paratus est munia erga Deum exequi, habet virtutem religionis. Sensu subjectivo et quidem strictiore homo religiosus est, quatenus suas obligationes ad Deum implet; latiore vero sensu, quatenus omnes obligationes legis moralis propter hujus connexionem cum Deo peragit. Talis homo mo-

raliter bonus est in quantum legem moralem sequitur; in lege vero voluntatem divinam aspiciens et Deum ita venerans, ipse religiosus quoque est. Num talis futurus sit, an non, id ab ipsius voluntate dependet. Erit talis tantummodo tunc, si in se concupiscentiam, qua ad rupturam a Deo inclinatur, superaverit. Si ejus voluntas cum lege morali naturali concordat, hic suus naturaliter moralis habitus simul naturaliter religiosus est — fundamento suarum (rationalium) cognitionum, quae cum Deo eum connectunt.

Supernaturalem religionem constituunt cognitiones et obligationes quae sunt »plus« relate ad religionem naturalem. objective seu ipsae secundum se, et subjective, quatenus homo supernaturaliter habilis effectus est, atque secundum has cognitiones vivit. Ut talis vita supernaturalis possibilis evadat, realis conditio ad id est, ut homo non constituatur in ruptura cum Deo relate ad legem moralem naturalem. Ordinatio finalis hominis est supernaturalis non solum quoad modum possidendi Deum (visio beatifica), sed et quoad objectum finis — Deum — kat'exochen supernaturalis est, et sic possumus dicere hominem eo quod naturaliter religiosus est, habere generalem tendentiam ad supernaturale. Tantummodo »inquietum cor« (*Augustinus*) cum »desiderio naturali« (*Thomas*) dirigitur ad supernaturalem perfectibilitatem in Deo. Id nequaquam significat supernaturale esse debitum naturae aut hominem fundamento naturae suae debere esse ordinatum ad visionem Dei (communionem cum vita divina) ita, ut impossibilis esset status naturae purae (sicut quidam theologi augustiniani atque Hermes et Günther putabant); de facto enim numquam talis status existebat, et unicus est supernaturalis noster finis, pro quo meritoria sunt tantummodo opera supernaturalia. Verumtamen (sine respectu ad quaestionem, nunc protoparentes aliquo tempore extiterint in statu naturae integrae praeparando se ad elevationem supernaturalem), non obstantibus omnibus his, quod nempe ordinatione divina omnes homines in statu supernaturalis finis et mediorum existant, non vero in statu solius naturae — i. e. non destinentur ad finem naturalem cum mediis naturalibus —, natura jam per se ordinata est ad Deum qua finem vitae eatenus, quod omnis alius finis excludatur. Cum homo hanc veritatem cognoscit (ratione), cum secundum legem naturalem vivit, secundum

naturam suam conversus est ad Deum: naturaliter religiosus est. Hic habitus naturalis eum habilem reddit, ut supernaturalia media ad finem supernaturalem accipiat. Cum Deo, objecto finis supernaturalis, homo fundamento naturae suae quibusdam veritatibus et obligationibus, quas naturaliter novit, connexus est — et praecise id constituit religionem naturalem, quae qua talis intrat in compositionem religionis supernaturalis. Si religio naturalis identica esset cum ordinatione ad naturalem finalem relationem, tunc neutiquam existeret, attamen talis conceptualis identificatio est error, nam factum supernaturalis destinationis non aufert condiciones naturales in via assecutionis ordinationis supernaturalis. Homo non est in statu viae ad finem naturalem, ipse non est destinatus ad finem naturae suae proportionatum (sive eam cum defectibus sensualitatis, sive exceptionaliter ita perfectam, ut absque difficultatibus suum finem naturalem obtineat, contemplemur); nos sumus in statu naturae reparatae relate ad finem et media supernaturalia. Dum omnia ista secunda sunt, non minus securum est, hominem — in statu viae ad finem supernaturalem in Deo — posse etiam naturali sua facultate nosse Deum (finalem) legislatorem; cum vero ipsum noverit etiam per existentialem et obligatoriam relationem (secundum veritates et munia) fundamento ordinationis, quae ex ipsa natura scaturit, potest id et voluntarie agnoscere — et eatenus est naturaliter religiosus. Sicut homo potest voluntarie se a Deo avertere, ita potest et ad Eum se convertere, quatenus luce rationis videt in Deo primum fontem vitae. In hac rationali volitiva directione ad Deum constitit religio naturalis.

Non est dubium, quin deliberatas operationes intellectus et voluntatis praeveniat gratia; ipsa vocat et excitat hominem in ejus operationibus intellectualibus, in meditationibus de fide (pia cogitatione), in dijudicanda credibilitate revelationis supernaturalis (judicium credibilitatis), item in pio credulitatis affectu, in statu emotionali et volitivo, ex quo actus salvifici procedunt: in tota psychica seu vitali dispositione, quantum ad supernaturalem finalem ordinationem dirigitur. Homo colit Deum, quia ad id vocatus est (*Augustinus*). Actus complexi, quibus peccator ad justificationem disponitur, debent esse supernaturales, quapropter ad tales actus dispositivos exigitur gratia. Homo peccator nequit ex suo statu ele-

vari capacitate sua naturali neque absque gratia totaliter a peccato abstinere potest (*Thomas*). Secundum praedicta vero omnis possibilitas religionis naturalis eliminari videtur: nam ipsa significat hominem propria capacitate naturali (rationis et voluntatis) se convertere ad Deum, id autem significaret hominem sibi ipsi vitam dare ex statu mortali peccati. — Ad hanc difficultatem respondemus ita: Esset error semipelagianus, si initium justificationis poneremus in potentiam naturalem absque praevia gratia. Actus dispositivi adsunt in nobis, sed sine nobis; nos invenimur in statu passivo relate ad vitam supernaturalem accipiendam. Neque homo ex se ispo ullo modo ad finem supernaturalem elevari potest, neque ipse ad finem naturalem destinatus est ita, ut sola religio naturalis ex ordinatione divina sufficeret. Tamen, licet in religione naturali opera salvifica (supernaturaliter meritoria) non continentur, neque ipsa activa praeparatio ad ea sit, ita ut gratia dependeret a religione naturali qua conditione dispositiva quae gratiam praecederet, seu aliis verbis, licet natura in accipienda vita supernaturali passiva sit, tamen haec acceptio eatenus activa est, quod gratia (illuminatione et motione) influit in actus personales, qui naturalem religionem constituunt. Ipsa est fundamento gratiarum actualium supernaturalis, quatenus hominem conducit ad supernaturalem unionem cum Deo, attemen conducit eum actibus intellectualis cognitionis et voluntatis. Genetice omnes isti actus dependent a realitate empirica, in qua Deus homini manifestatur (via naturali). Hic processus vitalis horum actuum non solum non excludit gratiam praeventientem, immo eam praesupponit relate ad nostrum finem supernaturalem in Deo. Accipiendo gratiam praeventientem, potest homo actibus liberae voluntatis ad Deum converti vel a Deo averti. (Hi actus sunt vel imperati vel elicit; primis voluntas influit in intellectum in quaestione de agnitione Dei, secundis vero determinatur ad opera moraliter bona, vel mala.) In hoc praeparatorio stadio justificationis gratia cooperatur, tamen a libera voluntate dependet, num homo gratiam retenturus sit, an vero amissurus (avertendo se a Deo).

c) Religio supernaturalis est via ad finem supernaturalem (ad amorem »visionis«). Hanc viam efficiunt omnia media supernaturalia et (subjective) eorum adoperatio. Ut homo

ad hanc viam determinetur, opus est gratia supernaturali (praevia). Finis ad quem hominem adducit in vita praesente, est supernaturalis amor (fidei revelatae), qua praeparatio ad visionem beatificam. Quo modo gratia ad hunc finem conducit? Quandoque etiam duratura et valde aerumnosa via vitae; nam apud singulos homines potest adesse magna distantia inter rationalem agnitionem Dei et amorem supernaturalem. Quam longa enim saepe vitae aetas requiritur, ut ad agnitionem rationalem veniatur! Gratia in initio adest et ipsa vitam usque ad finem comitatur, usque dum in anima status constans gratiae (habitualis) obtineat. Haec vero operatio gratiae conducit rationem et voluntatem ad Deum ea via, quae cum eorum natura congruit: imprimis ad rationaliter volitivam agnitionem Dei, dein ad fidem supernaturalem, cum qua incipit vita supernaturalis. Ut homo rationaliter agnoscat Deum vel ut cognoscat veritates de Eo, ad externam et internam experientiam demandatur: ad facta universalis mundana et suam conscientiam. Via cognitionis horum veritatum potest esse brevior et longior, aphilosophica et philosophica. Non de sola existentia Dei agitur, sed de aliis quoque veritatibus nostrae relationis ad Deum, speciatim de relatione finali. Conscientia hominem incitat ad perpendenda bona vitalia seu ad investigationem sensus vitae et sic ratio cognoscit Deum moralem legislatorem esse et finem vitae esse in Deo. Quantum homo ad agnitionem rationalem Dei pervenerat et quantum voluntate agnoscit legem moralem naturalem, ipse naturaliter religiosus est — licet in hac evolutione eum gratia dirigat. Ipsa eum dirigit et ulterius, in via ad agnitionem revelationis supernaturalis, et quatenus homo in tota hac via manuducitur gratia, in religionem naturalem intrat supernaturalis pars componens; fides vero in revelationem et usus mediorum supernaturalium religionem supernaturalem constituit. Ad eam homo ordinatus est, relate ad finem supernaturalem. Ita Deus nos a statu mortali (ignorantiae et cupiditatis) gratia sua vivos efficit, ut mediante ratione eum imperfecte diligere incipiamus (quantum in Deo summum bonum agnoscere obligamur) et ut hic amor, intercedente fide, supernaturalis fiat, et ut tandem in amore immediato semper cum Deo beate uniti maneamus.

Si ergo totam vitam religiosam conspiciamus — naturalem et supernaturalem — in linea evolutiva seu in formatione graduale, incipiemus a lege morali: omnis actus moraliter bonus potest religiosam naturam induere, quatenus homo in eo »videt« expressionem voluntatis divinae, mandatum Dei (resp. quatenus videt actum malum qua prohibitionem Dei). Omni actu bono potest homo esse religiosus, quantum practice agnoscit Deum, i. e. omnis actus bonus virtualiter (indirecte) est cultus Dei. Indeterminata idea Dei exprimit eam quidditatem realem, quae conscie in mundum et in vitam humanam dominatur quamque (sub ita indeterminata conceptione) vocamus »divinitatem«. Secundum praedicta, religionem sensu largissimo definiemus qua agnitionem practicam alicujus entis, quod conscie in mundum et vitam humanam dominatur. »Practica« est, quia complectitur totalitatem moraliter bonarum actionum; »agnitio« autem, quae in bonis actionibus includitur atque motivum suum habet in dominatione legislativa, significat cultum divinum seu religionem. Ita res se habet subjective (religiositas). Sensu objectivo religio complectitur quasdam conceptiones de divinitate (significatione latissima, resp. ideas objectivas de Deo) et cumulum mandatorum divinatorum. Religiositas scaturit ex agnitione theoretica Dei seu ex persuasionem (»fide«), quod Deus existat. Praeterea promanat ex amore et spe, quatenus homo bonis operibus intendit Deum ut summum bonum vitae, et quatenus sperat assecutionem hujus boni via bonitatis moralis. (Contra has tres virtutes, quae radicem religiositatis sensu largiore constituunt, diversimode peccari potest: infidelitate seu atheismo, falsa religione...) Si obligationes morales legis naturalis ad Decalogum reducimus, tunc prima tria mandata ad specificum cultum divinum, seu ad religionem sensu strictiore referentur. Ad eam pertinent omnes illi actus, quibus specialiter Deus qua unicus et excellentissimus Dominus agnoscitur, quique sunt: adoratio (quae exprimitur oratione adorativa et sacrificio), deinde oratio gratiarum actionis et petitionis, veneratio nominis divini, votum, juramentum etc. (Contra religionem sensu strictiore potest peccari idololatria, falso cultu divino, superstitione, sacrilegio, tentatione Dei, blasphemia etc.). Evitando

(Absolvetur)